

ciuntur, ad quietem, quæ est opposita motui. Ad motum comparatur, quatenus motus est id, quod primo et per se mensuratur tempore. Ad res quæ sunt in tempore, quatenus in sua duratione subjiciuntur motui. Et sicut in numero quædam continentur ut partes numeri, quædam ut numerata per ipsum: ita in tempore quod est numerus, quædam continentur ut partes, sicut dies est pars mensis, et mensis anni: quædam ut mensurata per tempus, sicut res quæ subduntur tempori. Denique, quietem docet mensurari tempore sicut motum, eo quod quies non est pura negatio motus, sed privatio in subiecto apto moveri, et sic pertinet ad eandem mensuram.

Summa capituli XIII.

In hoc capite explicat Philosophus duo. Primum, quædam adverbialia significantia, vel connotantia tempus. Secundum, quomodo tempus magis dicatur causa corruptionis, quam generationis.

Circa primum, explicat quid significet nunc seu instans, jam, modo, subito, et similia. Nunc sumitur dupliciter. Uno modo pro indivisibili copulante partes temporis, sicut punctum lineæ. Alio modo pro eo quod est vicinum tempori præsentis, et instat ut fiat, et idem significat jam. Modo significat præteritum vicinum tempori præsentis. Olim præteritum remotum. Subito cum tempus in quo fit, est fere insensibile.

Circa secundum, tempus dicitur causa corruptionis, quia est numerus motus, mutatio autem seu motus directe removet aliquid a sui dispositione, et ideo magis innotescit per corruptionem, qua aliquid a suo statu removetur, quam per generationem, qua in esse inducitur.

Summa capituli XIV.

Duo facit Aristoteles in hoc ultimo capite. Primo, explicat ulterius quod dixerat capite XII, omnem motum esse in tempore. Secundo, solvit tres dubitationes, quæ ad perfectiorem explicationem temporis conducunt.

Circa primum, ostendit omnem motum esse in tempore duplici signo; tum quia in omni motu invenitur velox vel tardum, quod utique sumitur per ordinem ad multum, vel paucum tempus in motu; tum quia in omni motu invenitur prius et posterius, quod designatur secundum distantiam ad aliquod nunc respectu præteriti et futuri, et hoc pertinet ad tempus.

Circa secundum, movet tres dubitationes. Prima, quomodo tempus se habeat ad animam, id est, utrum dependeat a cognitione. Secunda, quomodo tempus dicatur esse ubique, in terra, mari, etc. Tertia, de unitate temporis, videlicet an sit unum, et in quo motu sit.

Respondet Philosophus primo ad secundam quæstionem quæ facilior est, quod tempus dicitur esse ubique, quia ubique aliquis motus est, sive actu sive in potentia, nam etiam cum aliquid quiescit, tempori subditur.

Ad primam ponit rationem dubitandi, quod videtur tempus pendere ab anima, eo quod est numerus: numerus autem dependet a numerante, numerans autem est anima, ergo dependet tempus ab ejus cognitione. Solvit autem dicendo, quod tempus utcumque est ens extra animam quatenus in motu invenitur prius et posterius, quod ab anima numerabile est. Sed quia non habet esse fixum in re, sed transiens, ideo totalitas, seu perfecta ratio temporis, non invenitur nisi in

anima, in re autem solum est imperfecte.

Ad tertiam dubitationem respondet, quod cum tempus sit mensura, debet esse in motu magis regulari et perfecto. Primus autem motus inter cæteros est motus localis, et inter locales circularis, et inter circulares motus diurnus, qui est pri-

mi mobilis, in illo ergo est tempus. Et huic concordant, quæ dicuntur de tempore, scilicet quod omnia sunt in tempore, et subsunt illi, et consumuntur a tempore, et quod tempus revolvitur, et similia quæ motui cæli conveniunt, et tale tempus unum est.

SUMMA LIBRI V.

Postquam Philosophus egit de natura motus libro tertio et de ejus mensuris, quæ sunt locus et tempus in libro quarto, hic incipit agere de distinctione motus. Primo quidem per suas species in hoc libro. Deinde, penes quantitativas in sequenti. Et dividitur liber iste in tres partes. In prima agit de speciebus motus in communi, duobus primis capitibus. In secunda agit de unitate et diversitate ejus aliis duobus capitibus, usque ad quartum. In ultima de contrarietate motus usque ad caput sextum.

Summa capituli I.

In hoc primo capite, ut incipiat Philosophus tradere species motus, duo præmittit. Primo, distinguit motum per se a motu per accidens. Secundo, distinguit omnes modos mutationis ex parte termini a quo in terminum ad quem, quæ quatuor modis variari possunt.

Circa primum, distinguit motum ex parte termini ad quem in motum per accidens, et simpliciter ex parte, et simpliciter per se primo: per accidens sicut si dicatur de eo quod fit album, quod mutatur in id quod cognoscitur, cognosci enim accidit albo: si vero dicatur quod albefactio est motus in colorem, erit motus simpliciter ratione termini in par-

tem, si vero dicatur de eo quod albefit, quod mutatur in album, erit prædicatio simpliciter primo et per se, quia albefactio per se tendit in albedinem. Ex quibus colligit, quod mutatio per accidens omittenda est, quia non consideratur ab arte, quia determinatam rationem non habet: mutatio autem quæ non est per accidens, invenitur inter contraria, quantum ad motum ad qualitatem, quantitatem, et ubi, et inter contradictoria quantum ad generationem et corruptionem.

Circa secundum, ad investigandum species motus docet, quod cum mutatio sit de quodam in quiddam, quatuor modis contingit aliquid mutari: aut de subiecto in subiectum, aut de non subiecto in subiectum, aut de subiecto in non subiectum, aut de non subiecto in non subiectum. Et exclusa ista quarta, quæ non constituit speciem mutationis, cum non sit inter extrema opposita: nec enim duæ negationes oppositæ sunt, in reliquis tribus dantur species mutationis, et invenitur motus. Et quidem mutatio ex non subiecto in subiectum, quæ versatur inter contradictionem, est generatio vel simpliciter si sit substantiæ, vel secundum quid si sit accidentis, ut ex non albo in album, in quo manet subiectum simpliciter ens actu, et mutatur ex non esse se-

cundum quid in esse secundum quid: si autem subjectum non sit ens actu, sed ex non esse simpliciter fiat, est generatio substantialis. Mutatio autem de esse est corruptio. Et istæ duæ mutationes non sunt motus. Generatio enim substantialis fit ex materia prima, quæ est subjectum generationis, quæ secundum se et sine forma non existit simpliciter, ergo non movetur, quia quod movetur, existit. Quod similiter corruptio non sit motus patet, quia corruptio opponitur generationi, sed motui non opponitur nisi alter motus, vel quies: ergo si generatio non est motus neque quies, corruptio ei opposita motus non erit. Ex quo infert, quod motus per se sumptus solum invenitur in uno modo mutationis, scilicet ex subjecto in subjectum, seu de contrario in contrarium, intelligendo per contraria non solum extrema, ut album, et nigrum, sed etiam media, ut viride et rubrum, imo et privativa. Denique, in calce capitis dividit motum sic per se sumptum in tres species, quia in tribus tantum prædicamentis invenitur, scilicet ad qualitatem, quantitatem, ubi.

Summa capitis II.

Quod in calce præcedentis capitis in sinuaverat Aristoteles in tribus prædicamentis dari motum, in præsentibus id probat latius; et circa hoc facit tria. Primo, excludit omnia alia prædicamenta a motu. Secundo, concludit ad quæ prædicamenta de facto sit motus. Tertio, solvit dubitationem quamdam, scilicet ad quam speciem motus reducatur mutatio, quæ procedit secundum magis et minus in eadem specie. Et tandem docet, quomodo aliquid dicatur non moveri, seu quiescere, quia oppositorum eadem est ratio.

Circa primum, excludit Philoso-

phus motum a prædicamento substantiæ, et a prædicamento ad aliquid, et a prædicamento actionis et passionis, quæ nomine motus comprehendit. Quod ergo ad substantiam non sit motus proprie dictus, probat ex supradictis, quia substantiæ nihil est contrarium positive: motus autem est inter contraria, cum sit de subjecto in subjectum. Quod vero ad aliquid non sit motus directe, et propter se, ex eo probat, quia contingit relationem nasci non mutato eo in quo est relatio, sed termino relationis, ut cum ego reddor æqualis alteri solum ex eo, quod ille alter de novo fit: ergo ad relationem non est per se motus, sed solum relatio consequitur aliquam mutationem, sicut ex mutatione circa quantitatem consequitur æqualitas.

Quod vero ad actionem et passionem non sit per se motus, probat, quia actio et passio entitative motus sunt, sed ad motum non datur per se motus: ergo minorem probat, quia ad mutationem non est mutatio tanquam subjecti, neque enim mutatio est subjectum mutabile, verbi gratia, motus non albescit aut refrigescit, etc. Neque una mutatio est ad aliam, ut ad terminum ad quem, quia sic deberet esse ad mutationem oppositam, cum termini a quo, et ad quem sint oppositi, et sic ægrotatio esset ad sanationem, et e contra, ergo moveretur simul subjectum contrariis motibus. Secundo, quia sequeretur processus in infinitum: nam si una mutatio terminatur ad aliam, etiam ad priorem terminabitur alia mutatio, et ad illam alia, quia eadem est ratio de omnibus: processus autem in infinitum est impossibilis, nam etsi per accidens posset dari processus in infinitum in motibus, ut si res essent ab æterno, generationes essent ab æterno: tamen per se non potest in eis

dari processus in infinitum, quia non potest dari ultima generatio, nisi detur prima, si enim non datur prima, sed quæcumque data est alia prior, nulla generatio est completa, quia ista generatio quamdiu fit, nondum est, sed fit, et similiter illa alia generatio nondum est, sed fit, siquidem ad illam datur generatio, et de quocumque alia retrocedendo in infinitum est verum dicere, quod fit, et non est, quamdiu ad illam datur generatio; ergo nulla generatio est completa, et consequenter neque genitum, verbi gratia, ignis, quem tamen generari videmus.

Circa secundum, ostendit ex dictis dari motum ad tria prædicamenta, scilicet ad quantitatem, qualitatem, et ubi, reliqua enim, ut vidimus, non terminant motum, et vocatur motus ad qualitatem communi vocabulo *alteratio*. Motus autem ad quantitatem non habet commune nomen, sed per species suas vocatur augmentum, et decrementum: motus autem ad ubi, vocari potest *latio*.

Circa tertium, ponit illam dubitationem, ad quam speciem motus pertinet illa mutatio a minus ad magis in eadem specie, ut a minus albo ad magis album, et dicit pertinere ad alterationem, quia magis et minus in eadem specie, etiam quandoque contrarietas est: minus album accedit ad nigrum, et magis album recedit.

Denique, in calce capitis tangit de quiete, quæ opponitur motui, et dicit tripliciter dici aliquid immobile, vel quietum. Primo, negative, quod non est aptum moveri ut Deus. Secundo, quod difficile moveri potest. Tertio, quod aptum est moveri, et de facili potest moveri, sed actu non movetur, quod est privative quiescere, et hoc solum proprie dicitur quiescere.

Su mma capitis III.

In hoc capite incipit secunda pars hujus libri, in qua agit Philosophus de unitate et diversitate motus, et in hoc tertio capite præmittit quædam necessaria ad determinandum de unitate, et diversitate ejus. In sequenti autem capite determinat, et resolvit. Præmittit ergo in hoc capite definitiones quasdam de iis quæ requiruntur ad agendum de unitate et diversitate motus, id est, quæ dicantur esse simul, vel separatim, quid sit tangere, quid sit esse medium, quid consequenter se habere, quid sit habitum, et quid continuum: et primo definit hæc omnia. Secundo, comparat inter se.

Circa primum, simul secundum locum dicuntur quæ sunt in uno loco, scilicet proximo et immediato, seu proprio. Dicuntur se tangere quorum ultima sunt simul: ultima autem sunt superficies, vel lineæ. Definit medium quod est illud *id quod primo pertingit in quod movetur continue quam in ultimum*. Continue moveri dicitur, quod nihil vel minimum intermittit in motu. Definit ea quæ consequenter se habent, scilicet *inter quæ nihil eorum quæ in eodem genere sunt, medium cadit, et unum post aliud*; quod potest esse vel secundum situm, vel secundum numerum, vel secundum dignitatem, aut perfectionem, vel secundum tempus. Definit contiguum *id quod consequenter ad aliud se habet, et ipsum tangit*. Definit denique continuum *cujus scilicet partes unico modo, seu indivisibili copulantur*.

Circa secundum, comparat ista tria, scilicet consequenter se habere, tangere, et continuum, et dicit, quod consequenter se habere latius patet, quam se tangere: nam ut aliqua consequenter se habeant, sufficit or-

do in positione, vel modo etiam si non tangant, ut quæ separata sunt a materia. Tangere autem latius patet, quam continuum, quia omne continuum tangit partem sibi continuam, non tamen omne quod tangit, est continuum, cum etiam se tangant quæ contigua sunt. Ultimo, ponit discrimen inter puncta et unitates. Primo, quia punctum tangit aliquid, scilicet partes lineæ, unitates autem possunt consequenter se habere, sed non necessario tangunt. Secundo, quia inter duo puncta debet reperiri aliquod medium, non enim duo indivisibilia sunt immediata; non vero inter duas unitates necesse est dari medium.

Summa capituli IV.

In isto capite agit Philosophus de unitate, et diversitate motus, et tria præstat in hoc capite. Primo, ostendit unde sumatur, et quomodo, unitas et diversitas motus. Secundo, quomodo continuitas. Tertio, quomodo regularitas et irregularitas.

Circa primum, distinguit triplicem modum unitatis et diversitatis in motu, scilicet quod sit unus generis, unus speciei, unus numero. Dicitur motus unus genere, qui pertinet ad unum prædicamentum, sicut omnes lationes sunt unius generis. Specie dicitur unus, qui ad unam speciem terminatur, ut dealbatio ad albedinem. Quia vero instari poterat in motu recto et obliquo, qui possunt terminari ad idem punctum, respondet lationes non solum respicere terminos materialiter, sed lineas, seu media per quæ fiunt, est autem specie diversa linea circularis et recta. Denique, dicitur motus unus numero, seu unus simpliciter, in quo tria concurrunt a quibus ejus unitas numerica pendet, scilicet unitas subjecti, termini et temporis;

quorum si aliquid discontinuatur, non erit motus unus numero.

Circa secundum, ostendit quid sit necessarium ut motus sit continuus. Ad quod respondet tria esse necessaria sicut ad unitatem, eo quod motus continuus est unus. Primum, quod habeat unitatem speciei, quæ enim differunt speciei, non continuantur. Secundo, requiritur unitas subjecti, diversorum enim subjectorum non potest esse idem motus. Tertio, requiritur unitas temporis, quia si tempus non est unum interrumpitur quiete, quod est discontinuatur.

Circa tertium, duas causas ponit irregularitatis motus. Prima, ex parte medii, si via ipsa sit obliqua et non recta. Secunda, ex parte motus, scilicet quia non eodem modo movet sed modo velocius aut acrius, modo tardius aut remissius. Denique, ostendit motum irregularem, licet uniformis non sit, posse esse unum continuitate, minus tamen unum est quam regularis, quia plus diversitatis habet, sicut linea habens angulum, minus una dicitur, quam recta.

Summa capituli V.

Hoc capite et sequenti tangit Philosophus ultimam partem hujus libri, scilicet de contrarietate motus, et in hoc quinto capite agit de contrarietate motuum, in sequenti de contrarietate quietum. Circa contrarietatem motuum tria facit. Primo, proponit quinque modos quibus motus contrariari possunt. Secundo, removet ex illis eos, qui veram contrarietatem non faciunt. Tertio, assignat verum modum contrarietatis.

Circa primum, numerat quinque modos, seu combinationes, quibus motus possunt esse contrarii. Primum, secundum accessum, et recessum;

sum ab eodem termino, sicut generatio, et corruptio, ex esse, et non esse alicujus. Secundum, ratione contrarietatis terminorum a quibus ut si unus motus sit ex sanitate, alius ex aegritudine. Tertium, secundum contrarietatem terminorum ad quos, ut motus in sanitatem et aegritudinem. Quartum, secundum contrarietatem termini a quo ad terminum ad quem, ut ex sanitate in aegritudinem. Quintum, secundum contrarietatem utrumque terminorum, ut motus ab aegritudine in sanitatem, contrariatur motui e converso a sanitate in aegritudinem.

Circa secundum, excludit a contrarietate motuum, tam quartum, quam secundum modum: nam quartus motus invenitur in uno tantum motu, idem enim motus est a sanitate ad aegritudinem, ut a termino a quo ad quem. Secundus autem, quia contrarietas motuum non accipitur a contrarietate terminorum a quibus: tum quia possunt motus a diversis terminis a quibus terminari in unum et idem, ut si ex albo tendatur ad viride, et similiter ex nigro: tum quia termini a quibus relinquuntur, et consequenter contrarietas eorum, contrarietas autem quæ relinquuntur non constituit contrarietatem, sed quæ assumitur, et ad quam tenditur.

Circa tertium, concludit quod contrarietas sumitur in motibus secundum tertium et quintum modum; in mutationibus autem secundum primum. Hi enim restant exclusis illis duobus. In motibus enim contrarietas accipitur secundum speciem, et rationem ipsorum, proprie autem ratio motus est a quodam in quiddam, ergo secundum contrarietatem istorum sumitur contrarietas motus, sic agrotare est contrarium ei quod est sanari, et addiscere ei quod est decipi propter contrarietatem terminorum. Se-

cundo, in mutationibus non habentibus contrarium, ut generatio et corruptio, sumitur contrarietas penes accessum et recessum ab eodem termino penes contrarietatem extremorum, quia carent illo, et sic generatio ignis est accessus ad ignem, corruptio vero ignis recessus ab illo.

Summa capituli VI.

In hoc ultimo capite facit duo. Primo, determinat Philosophus de contrarietate quietum, tam in motibus, quam in mutationibus. Et secundo solvit quasdam dubitationes ex præmissis relictas.

Circa primum, distinguit de oppositione motus ad quietem, et de oppositione quietum inter se: et quidem motus et quies opponuntur non contrarie, sed privative, nec tamen opponitur omnis motus omni quieti, sed unumquodque in suo genere, sicut motui locali quies in loco. Et loquendo secundum veritatem quies in termino a quo est, qui contrariatur motui, sicut motui ab albo in nigrum contrariatur quies in albo, non autem contrariatur quies in termino ad quem, quia potius motus est causa talis quietis, et ad eam tendit, non autem unum oppositum est causa sui oppositi. At vero quies et quies opponuntur sicut ipsi motus penes contrarietatem terminorum, in quibus est quies, sicut quies in sanitate contrariatur quieti in aegritudine. In mutationibus autem quæ non sunt motus stricte dicti, non datur proprie quies contraria mutationi, sed dici potest quod non mutatio contrariatur mutationi.

Circa secundum, proponit tres dubitationes ad exactiorem contrarietatis motuum explicationem. Prima, circa alium modum contrarietatis, quæ est penes naturale, et

violentum in motibus. Primo, inquit an sicut datur naturale et violentum in motibus localibus, ita inveniatur in aliis generibus motuum, puta alterationis et augmentationis. Et respondet etiam in aliis generibus dari violentum et naturale, sicut generationes, et corruptiones violentæ sunt præter naturam, et similiter alterationes aliquæ non secundum naturalem cursum proveniunt, ut cum quis dimittitur a febris diebus non criticis, et hoc modo non inconvenit, quod generatio contrarietur generationi secundum violentiam, et naturam.

Secunda quæstio est, an detur generatio quietis, ita quod generatio ejus dicatur via ad statum. Quam controversiam disputat in utram-

que partem, nec solvit eam expresse, sed implicite, dum dicit non generari quietem, dum res detinetur violentem in aliquo loco, sed cum naturaliter et tranquille.

Tertia dubitatio est, quia ex dictis sequitur duo contraria eidem convenire, dum enim quis tendit ab albo in nigrum, non statim habet totam albedinem, nec statim exiit totam nigredinem, sed partim habet unam, partim alteram, quod est habere aliquid de utroque contrario. Respondet: Habet duo contraria non simpliciter et in esse perfecto, et quieto, quod repugnat, sed unum in abiectione, et aliud in acquisitione, et sic contraria aliquando permiscetur in esse imperfecto.

SUMMA LIBRI VI.

In hoc libro explicata divisione motus per species et contrarietates, intendit tractare de divisione motus penes partes ex quibus integratur. Et totus liber habet decem capita, et tractat quatuor. Primum est, quod motus sicut et omne continuum est divisibile, et non constat ex solis indivisibilibus. Secundo, ostendit quot modis dividatur motus, et quis sit ordo partium, quæ finitas ejus aut infinitas. Tertio, ostendit quomodo quies habeat divisionem. Quarto, expedit rationis Zenonis in contrarium circa indivisibilia, ex quibus dicebat constare motum et continuum.

Summa capituli I.

In hoc capite duo facit Philosophus. Primo, ostendit continuum in genere loquendo non componi ex indivisibilibus. Secundo, ostendit motum et tempus in speciali indivisibilibus

non constare. Primum probat duabus rationibus principalibus. Et ad primam supponit definitiones supra traditas continui, contigui et consequenter. Continuum dicitur *quorum ultima sunt unum*; contigua *quorum ultima sunt simul*; consequenter *quorum nihil est medium sui generis*. Ex quibus format rationem, quia non potest continuum componi ex indivisibilibus, neque per modum continuationis, neque per modum contactus, seu configurationis, neque per modum consequenter; ergo. Non per modum continuationis, neque configurationis, quia continua sunt, quorum ultima sunt unum, et contigua quorum ultima sunt simul, in indivisibilibus autem non est accipere aliquid ultimum, quia carent partibus respectu quorum sit ultimum; ergo. Non etiam se habent consequenter, quia unum punctum non est immediatum alteri, sed inter quælibet duo puncta est

linea media. Quod ostendit, quia duo puncta debent distare situ, et non possunt se contingere, ergo debet aliquid intercedere, quod indivisibile non sit, sed divisibile. Denique, partes in quas dividitur continuum, sunt sibi coherentes et continuæ, ergo si dividerentur in sola indivisibilia, illa se mutuo tangerent et continuarentur, quod reprobatur est.

Circa secundum, loquendo de motu in speciali præsupponit eandem esse rationem de constitutione ex indivisibilibus in magnitudine, motu et tempore. Quare si magnitudo componitur ex indivisibilibus etiam motus, qui super eum fit, componetur ex indivisibilibus. Igitur cum impossibile sit aliquid simul moveri, et mutatum esse, aut quando movetur nondum mutatum est, aut simul movetur et mutatum est, hoc posterius stare non potest, ergo primum: et consequenter motus non constat ex indivisibilibus, quæ sunt mutata esse, sed ex partibus motus. Denique, idem ostendit dicendum esse de tempore, scilicet quod non constat ex indivisibilibus, nam si sit magnitudo divisibilis in quinque palmos, et detur mobile unius palmi, prius tempore decurret partem unius palmi, quam omnes simul, ergo constat partibus divisibilibus.

Summa capituli II.

In hoc capite ulterius prosequitur Philosophus id quod in fine capituli præcedentis attigerat, scilicet tempus componi partibus divisibilibus, et non ex solis indivisibilibus. Et ad hoc ostendit duo. Primum, quod magnitudo et tempus eodem modo dividuntur. Secundo, quod eodem modo se habent penes finitum et infinitum.

Primum ostendit, tum quia illa dicuntur æque velocia, quæ eam-

dem magnitudinem percurrunt eodem tempore, et minorem magnitudinem in minori, si ergo detur aliqua magnitudo divisibilis, quam pertranseat mobile in tempore determinato, mobile æque velox pertransibit partem illius in minori tempore, ergo et tempus ita est divisibile sicut magnitudo, tum quia idem mobile, quod toto tempore decurrit spatium decem palmorum, in medietate temporis decurrit medietatem spatii, et in minori minus, et sic de reliquis partibus in infinitum, ergo dividitur tempus sicut magnitudo.

Circa secundum, ostendit quod infinitas vel finitas temporis se habet sicut infinitas aut finitas magnitudinis, sive sit infinitum in extremis, quod omni extremitate caret, sive infinitum divisione, quod scilicet in infinitum dividi potest, quale est quodlibet continuum, ultrique vero temporis finitas aut infinitas proportionatur. Ex quibus colligit aliqua corollaria. Colligit primo, solutionem argumenti Zenonis, quo probabat nihil moveri, quia sunt infinita indivisibilia in quolibet spatio, quorum unumquodque a mobili debet attingi, et sic infinita transiret, quod in tempore finito esse non potest. Respondet tamen ad hominem, hoc non sequi, quia sicut spatium est infinitum divisione, non vero per carentiam terminorum, ita et tempus eandem habet infinitatem. Colligit secundo, nec finito tempore infinitam magnitudinem, nec infinito tempore finitam magnitudinem percurri. Colligit tertio, nullum continuum generaliter loquendo solis indivisibilibus constare, nam si sit magnitudo tribus indivisibilibus constans, et similiter tempus tribus instantibus, et sit unum mobile velocius, quod totam illam magnitudinem tribus illis instantibus percurrat, aliud vero